

tum dirimens, si raptus contingerit, puella invita, (secus ea consentiente, etiam suis parentibus invitis) & raptor non pro alio, sed pro se rapiat: nam si pro alio rapiat, potest eum ea contrahere. Et hoc impedimentum durat, dum mulier est in potestate raptoris, ac proinde cessat ea in loco tuto, & liberò constituta: tuncque eum ea valide, & licite contrahere valet. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 13.* Si forte femina rapiat virum, etiam non servata forma Trid. potest eum eo contrahere: ac proinde, si ipse liberè consentiat, etiam in potestate raptricis sit, valet matrimonium. Nam cum Constitutio Trident. sit poenalis, & odiosa, non debet extendi ultra casum expressum, qui tantum est de raptore, non de raptricis; & cum hoc rarissimè contingat, non venit in Legis consideratione, quæ ad frequenter contingentia ordinatur: nec est in utroque casu eadem ratio, nam gravius delictum committit vir rapiens feminam, majusque scandalum sequitur, graviorque ipsi, & ejus parentibus irrogatur injuria, quam è contra: quando femina rapit virum. *Barbos. ad Trid. sess. 24. de Reform. matr. cap. 6. n. 5. Gonz. in cap. fin. de Raptor. n. fin. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 12. num. 25. Ponc. de Matrim. L. 7. cap. 69. n. 6. contra Bald. Tirag. Henrig. Gutierr. & alios.* Si quis sponsam invitam rapiat, poenitis Trident. tenentur; nam Text. in cap. 6. de Raptor. excusat à raptu abductionem desponsatæ de ejus consensu factam: nam tunc non laeditur libertas matrimonii, cum ipsa ad hoc sit obligata, cap. 10. h. t. ac proinde includere videtur casum, quo invita abducatur, nam licet rapiens sponsam recipiat, quod suum est; non tamen accipit modo legitimum, debebat enim non autoritate propria, sed autoritate publica eam vindicare, quod præcipue habet locum, si ipsa justam causam resiliendi habeat: quippe tunc idem est, ac si sponsalia non præcessissent. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 13. num. 15. contra Henrig. de Matrim. lib. 12. cap. 14. num. 5. & alios.*

TIT. II.

De Desponsatione impuberum.

42 **S**ponsalium contractus est actus humanus, qui ad sui valorem exigit Jure Naturæ usum rationis in utroque contrahente: quo, saltem in

uno deficiente, Jure Naturali sunt invalida sponsalia, etiam si à parentibus nomine filiorum sint contracta, cap. un. h. t. in 6. L. 6. tit. 1. p. 4. & non solum hoc intelligitur, quando sunt minores septennio: sed etiamsi contrahentes majores septennio sint. L. 14. ff. de Sponsal. Regulariter tamen requiritur, & sufficit septennium tam in mare, quam in foemina ad contrahenda sponsalia; nam tunc sufficiens usus rationis ad ipsorum obligationem regulariter invenitur. L. 14. ff. de Sponsal. cap. 4. cap. 5. cap. 13. h. t. cap. un. ead. in 6. L. 6. tit. 1. p. 4. D. Thom. in 3. p. Sup. q. 43. art. 2. in corp. ibi: *Ante primum septennium nulli contractui homo aptus est, sed in fine primi septennii incipit esse aptus ad aliqua promittenda in futurum præcipue de his, ad que ratio naturalis inclinatur magis, non autem ad obligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non firmam habet voluntatem, & ideo tali tempore possunt contrahi sponsalia, sed in fine secundi septennii jam potest obligare sed de his, quæ ad personam ipsius pertinent, vel ad Religionem, vel ad conjugium, sed post tertium septennium, etiam potest de aliis se obligare. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 16. n. 7.* Hoc septennium, quando non constat, quod malitia suppleat ætatem, debet esse completum, non tantum moraliter, ut cum aliis docet Gutierr. Sed etiam physice, ut tenet *Barbos. in cap. 4. h. t. n. 2. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 16. num. 4. Gonz. in cap. 5. h. t. & alii.* Nam quando agitur de obligatione imponenda, verba Legis in sensu proprio accipi debent, & ideo 16. anni physice completi requiruntur ad professionem religiosam. *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 15.* Item regulariter 14. anni physice completi sunt necessarii ad testamenti factionem. L. 5. ff. Qui Testam. similiter ergo debet sumi verbum: *Compleset, & compleverat.* Loquendo de septennio ad sponsalia in cap. 4. cap. 5. h. t. Nec sufficit, quod ultima dies septennii sit incepta, ut tenet *Sanch. sed requiritur, quod sit completa de momento ad momentum, ut patet in ætate requisita ad professionem: nec aliter potest intelligi septennium physice completum; nisi & ultima dies septennii completa sit. Gonz. in cap. 5. h. t. n. 5. Et quamvis in L. fin. tit. 1. p. 4. dicatur, *V. Poco menos, clare loquitur de casu, quo malitia suppleat ætatem. Et sic etiam intelligendus est. D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 43. art. 2. ad 7.* Sponsalia contracta ante usum rationis utriusque, quin & unus tan-*

tantum contrahentis, sunt nulla. Nam cum sint promissio mutua, si ex una parte claudicent non subsistunt ex altera, etiam si a pubes, vel major septennio sit. Promissio tamen à pubere facta infanti in vim simplicis promissionis valet quin acceptationem ex parte infantis requirit; ac proinde nequit revocari; arg. L. 5. C. de Emancip. liberorum; possunt tamen à contrahentibus, postquam ad usum rationis accedent, talia sponsalia, vel expresse ratificari verbo, scripto, nuptu, vel alio signo; vel saltem tacite cohabitando, mittendo munera, vel aliud hujusmodi proprium sponsorum faciendo: & tunc convalescunt, dum tamen sponsi sciant, se tempore infantia sponsalia contraxisse: & ea fuisse nulla: alias ex errore procedendo, nil agunt; cum nil tam contrarium sit consensui, quam error. Ex L. 15. ff. de Jurisdic. Quod quidem deducitur ex C. fin. h. t. C. un. ead. in 6. L. 6. tit. 1. p. 4. *Sanch. de Matr. L. 1. D. 16. n. 5. & 6.*

43 Si contrahentes sponsalia ante septennium in quacumque ætate, & quocumque modo, ut contra alios tenent *Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 10. num. 14. & alii*, habeant usum rationis prudentiam, seu discretionem (quod dicitur malitia suppleat ætatem) hujusmodi sponsalia erunt valida, non solum Jure Naturæ, L. 4. L. 14. ff. de Sponsal. sed etiam Jure Positivo: siquidem ex cap. 3. de Sponsal. constat, sponsalia contracta cum puella nondum septenni producere impedimentum publicæ honestatis, quod est signum validitatis sponsalium, & expresse habetur in L. fin. tit. 1. p. 4. ibi: *E esto se debe entender, si los desposados fuesen de edad de siete años cumplidos, o poco menos, de manera, que hayan entendimiento para placertes las desposadas.* Nam ætas in sponsalibus, non est simpliciter definita. L. 14. de Sponsal. Et ætas septennii, quæ regulariter assignatur dependet à certa suppositione: scilicet, usu rationis, adeo ut magis usus rationis, quam ætas spectetur: secus accidit in professione religiosa, & testamenti factione ubi ætas absolute, & sine dependentia ab alia suppositione definitur: quod clarus patet in matrimonio, ubi licet sit designata ætas 14. annorum, valet matrimonium, si malitia ætatem suppleat. Similiter ergo dicendum est in sponsalibus. *D. Thom. in 4. D. 27. q. 2. art. 2. ad 7. D. Antonin. Joann. And. Covarr. Gutierr. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 16. n. 9. Gonz.*

in cap. 5. h. t. n. 4. contra *Angel. Fachin. & alios.* Tunc malitia, seu prudentia creditur, ætatem supplere, si quis posset peccare mortaliter: nam id sufficit, ut se obliget per votum solemnne Ordinis Sacri, & simplex Religionis, quare ergo non sufficit, ut se obliget per sponsalia? Quorum obligatio facilis dissolvitur, scilicet per illius tantum voluntatem, cum ad pubertatem perveniat. *Sanch. de Matrim. L. 1. D. 16. n. 16. cum pluribus, quos n. 9. citat, contra D. Thom. in 4. D. 27. q. 2. art. 2. ad 2. Henrig. de Matr. L. 11. cap. 13. n. 9. & alios.*

44 Si impuberes majores septennio contrahunt sponsalia, neuter etiam mutuo consensu ante pubertatem resiliere potest: ne ex fragilitate judicii temere, sponsalia sæpe contrahant, & dissolvant: pubertate tamen adepta, etiam sine alia causa resiliere possunt, etiam in foro conscientia, ne firmiter observare teneantur, quod judicio immaturo fecerunt, cap. 7. h. t. *Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 51. n. 19.* Nec ille, qui primo fit pubes alterum debet expectare, cap. 7. h. t. quia etiam altero pubertatem adepto, reclamare, & resiliere potest; ut quid alterius pubertatem expectabit? Cum frustra expectetur eventus, cujus nullus est effectus; arg. cap. 36. de Offic. delegat. Si verò non statim resiliat, sed rata habeat sponsalia, alterius pubertatem spectabit. *Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 51. num. 9. & 14.* Si tempore contractus unus erat pubes, non ipse etiam de impuberis consensu, sed impubes potest resiliere, cum ad pubertatem perveniat: quod si stare velit contractui, pubes etiam stare tenetur, cap. 7. h. t. Et tunc claudicat contractus in favorem impuberis. *Sanch. de Matrim. L. 1. D. 51. n. 10.* nisi alii iustum causam resiliendi habeat pubes: nam tunc resiliere potest; v. g. ob metum, cap. 11. h. t. Licet ad ratificanda sponsalia à minoribus septennio contracta, quia nulla fuerunt, novus consensus requiritur verbo, vel facto, tempore pubertatis exprimentus: at verò, ut rata sint contracta à majoribus septennio, cum sint valida, sufficit taciturnitas illorum, seu quod non reclamant statim cum possunt, & ipsis hoc jus competere sciunt. Statim & illico reclamare censetur, qui reclamat intra triduum, etiam postquam pubertatem sit ingressus. *L. fin. C. de Judic. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 51. n. 14.* Juramentum sponsalibus adjectum ab impuberibus nondum proximis pubertati se-

quitur sponsalium naturam: ac proinde in illo subintelligitur hæc conditio; nisi pubes factus reclamet. *Pont. de Matrim. lib. 12. cap. 9. n. 8.* At verò si sponsalia sint juramento firmata ab impuberibus proximis pubertati, ita confirmantur, ut nulli ex eis liceat resiliere: quia illis esset periculosum contra juramentum venire, *cap. 10. de Sponsal. Covarr. de Spons. p. 1. cap. 5. §. 1. n. 3. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 51. ex n. 22. & alii, contra Joan. And. & alios.* Proximis pubertati censetur masculus, si decimum annum cum dimidio, & femina nonum cum dimidio excedat. *L. 6. tit. 5. p. 6.*

45 Ad matrimonium contrahendum nulla determinata ætas Juræ Naturæ requiritur; sed tantum usus rationis, seu discretio: major quidem, quam ad sponsalia ob strictiorem obligationem, & vinculi perpetuitatem. Profecto in homine paulatim ratio convalescit, secundum quod quietatur motus, & fluxibilitas humorum, ut ait *D. Thom. in 3. p. Sup. q. 43. art. 2. in corp.* Sicut etiam major maturitas ad professionem, quam ad matrimonium à jure requiritur ob arduitatem negotii, quia Religio est earum rerum, quæ sunt suprâ inclinationem naturæ, quæ majorem difficultatem habent, quam matrimonium. *D. Thom. in 4. D. 36. q. un. art. 5.* Deinde requiritur, quod corpora sint habilia ex se ad generationem, licet non sint proximè habilia. *Arist. D. Thom. in 3. p. Sup. q. 53. art. 2. ad 3. Sanch. de Matr. L. 7. disp. 104. n. 19.* Jure Ecclesiastico requiritur, quod contrahentes sint puberes, *cap. 6. cap. 10. cap. 11. h. t. D. Thom. in 4. dist. 36. q. un. art. 5. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 104. n. 9. Gonz. in cap. 2. h. t. n. 7. & comm. DD.* Idem est de Jure Civili. *Princ. Instit. de Nuptiis.* Et de Jure Hispano. *L. 6. tit. 1. p. 4. ibi: Mas para casamiento hacer, ha menester, que el varon sea de edad de catorce años, è la muger de doce.* Puberes ergo censetur masculus post 14. femina post duodecimum annum completum, *cap. 6. cap. 10. cap. 11. h. t.* ob specialem tamen favorem matrimonii sufficit, quod ultima dies sit incepta, licet non completa; quamvis hoc non sufficiat in sponsalibus. *Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 104. n. 2.* quia in hac ætate regulariter, præter sufficientem usum rationis, & maturitatem judicii jam habent generandi potentiam, & facultatem. Et quidem citius femina, quia debiliior, advenit pubertas. Nam regulariter minus perfecta ci-

tius in sua linea perficiuntur. *Macrobi. L. 7. Saturnal. cap. 7. ibi: Quod citò admoventur generationis femine non nimii caloris, sed natura infirmioris est: ut exilia poma celerius maturescant, robusta serius.* Etiam consentiunt *Aristot. Gonz. in cap. 3. h. t. n. 3. & alii*, quamvis usus rationis æqualiter in utroque affluat in septennio. *D. Thom. in 3. p. Sup. q. 43. art. 2. ad 3.* Hinc est, quod infideles, qui Lege Ecclesiastica non tenentur, validè possunt contrahere matrimonium, etiamsi impuberes sint, dum alias Jure Naturæ inspecto, habiles ad matrimonium inventiantur. Matrimonium à puberibus contractum, etsi non possint carnaliter commisceri, validum est: nam Jure Ecclesiastico non requiritur actualis potentia ad generandum; dum impotentiam absolutam non habeant; alias qui ob corporis infirmitatem non posset copulam exercere, invalidè contraheret; quod falsum est. *Abb. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 5. num. 2. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 104. n. 15. Pontifex*, ut Superior omni Jure Ecclesiastico, bene potest in hoc impedimento ex defectu ætatis dispensare ex justa causa, & sic aliquando dispensatur Pontifices, maxime pro bono pacis, *cap. 2. h. t.* nam pro pace plura admittuntur quæ alias prohiberentur, *cap. 10. 3. q. 6. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 104. n. 11.* ubi dicit, quod Pontifex potest dispensare, ut matrimonium in quacumque ætate in initum valeat, modo pueri rationis usus participes sint, sicut in quocumque alio Jure Humano dispensare valet, *cap. 4. de Conces. præbend.* Et probabiliter potest etiam Episcopus in casu urgentissimo cum impuberibus dispensare: præsertim, si dubium sit, an malitia suppleat ætatem. Sic contra *Fagnan. & alios tenent Covarr. in C. Alma, p. 1. §. 7. n. 8. Suarez de Leg. L. 6. cap. 14. n. 8. Sanch. de Matr. lib. 7. disp. 104. n. 12. Barbosa. & Gonz. in cap. 2. h. t. n. 7.*

46 Aliquando malitia supplet ætatem: tunc videlicet, quando in impubere invenitur simul, & copulative habilitas ad generandum, & sufficiens discretio ad matrimonium, vinculi que perpetuitatem cognoscendam: *arg. cap. 6. h. t.* Et tunc validè contrahit impubes matrimonium etiam sine ulla dispensatione, *cap. 9. cap. fin. h. t. L. 6. tit. 1. p. 4.* Nam ætas solum assignatur dependentè à suppositione, quod antea malitia non præveniat ætatem. *Gutierr. de Matr. cap. 2. n. 23. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 104. n. 5.*

n. 5. & n. 21. Gonz. in cap. 2. h. t. n. 7. & cap. 3. n. 4. & alii. Si unus, vel duo impuberes, in quibus malitia non supplet ætatem per verba de presenti matrimonium contrahant, non valet tale matrimonium, nec lapsu temporis, nisi aliter approbetur, convalescit. Et quidem hoc districtè fieri prohibetur in *cap. 2. h. t.* ac proinde sub culpa gravi prohibetur ob gravem irreverentiam, quæ Sacramento irrogaretur. Nam attentatur invalidi Sacramenti administratio. Si tamen ob aliquam urgentissimam necessitatem fiat, à culpa tales excusarentur; necessitas namque matrimonium cohonestaret. Et certè, quando tale matrimonium ab impuberibus defecto contraheretur, licet non valeret, ut matrimonium; ex præsumpta tamen contrahentium voluntate, & juris interpretatione talis promissio in vim sponsalium valeret, *cap. fin. h. t. cap. un. eod. in 6. l. 6. tit. 1. p. 4. ibi: E si ante de este tiempo se casasen algunos, non seria casamiento, mas desposajas.* Quippe actus, qui non valet, ut agitur, eo modo, quo valere potest: nisi expresse velint contrahentes excludere sponsalia; & sic intelligitur, *L. 9. ff. de Spons.* Nam tunc non habet locum præsumptio, sed ipsa cedit veritati, ne actus agentis ultra ejus voluntatem extendatur. Contra *L. 19. ff. de Reb. cred. Covarr. de Sponsal. p. 1. cap. 3. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 21. num. 2. Barbosa. & Gonz. in cap. fin. h. t. n. 4. contra alios.* Et tunc habet locum illa regula. *Quod potuit, noluit; quod voluit, non potuit.* Si duo, vel saltem unus impubes contrahat matrimonium clandestinum, hoc habet vim sponsalium: etiam hodie: nam Tridentinum, ut lex correctoria Juris Communis non extenditur, nisi ad illum contractum, qui esset matrimonium: & cum hic contractus Jure antiquo non esset matrimonium, sed in sponsalia resolveretur, *cap. un. h. t. in 6. idè etiam post Trid.* sustinetur talis promissio clandestina in vim sponsalium *Navarr. Man. cap. 22. n. 57. Gutierrez. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 21. num. 5. Gonz. in cap. fin. h. t. num. 4.* qui ita declaratum à Cardinalibus testatur. Quando verò duo puberes matrimonium clandestinum contrahunt, cum Trid. decernat, talem contractum absolute esse irritum, & invalidum ex defectu formæ, nec in vim sponsalium sustinetur. Et ita declaratum testatur, *Gallebart. ad Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. Barbosa. de Offic. Episc. alleg. 32. ex cap. 143. Sanch. de Matr. L. 1.*

TIT. III.

De Clandestina desponsatione.

47 **M**atrimonium tripliciter clandestinum dicitur. 1. quia solemnitates legales deficiunt, v. g. quia fit sine notitia consanguineorum, vel sine constitutione arrharum. 2. quia denuntiationes, seu proclamationes publicæ, Hispanè: *Amonestaciones* omittuntur, 3. quia non celebratur in facie Ecclesiæ coram Parocho, & testibus. *L. 1. tit. 3. p. 4. Et præcepto Lateranensis Concilii in cap. fin. h. t. renovato à Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1.* debent præcedere ad matrimonium, & quidem sub gravi, quia præceptum est in materia gravi. *Sanch. de Matrim. lib. 3. D. 5. n. 6.* proclamationes publicæ tribus diebus festivis continuis, ut si quis aliquid sciat impedimentum, illud manifestet Parocho. *L. 1. tit. 3. p. 4.* Et possunt quocumque tempore fieri, etiamsi nuptiæ: tunc prohibentur celebrari, ut in tempore Adventus, & Quadragesimæ. *Gonz. in cap. fin. h. t. num. 7. & Barbosa.* Et debent fieri in Ecclesia, & intra Missarum solemniam ob majorem populi concursum, ut facillius impedimenta detegantur. Unde si die profesto, & extra Ecclesiam, v. g. ad concionem audiendam Populus concurreret, cum sic Concilii finis obtineatur, ibi possent fieri proclamationes. *Sanch. de Matrim. lib. 3. D. 6. n. 9. Gonz. in cap. fin. h. t.* sed in huc standum est cujusque Ecclesiæ consuetudini: Matrimonium sine eis celebratum, quamvis illicitum, validum tamen erit, ut contra paucos certum est, & declaratum à *S. Congregat. Concil. Navarr. Gutier. Laym. Sanch. de Matrim. L. 3. D. 5. n. 3. Gonz. in cap. fin. h. t. n. 7.* Siquidem nullus Textus datur tale matrimonium irritans. Parochus quidem contrahentium, per se, si velit, vel per alium, etiam laicum, ut habet praxis, debet proclamationes facere, *cap. fin. h. t. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 6. n. 5.* Si sponsi ad duas Parochias spectent in utraque fieri debent proclamationes. *Sanch. de Matr. L. 3. D. 6. n. 4. Gonz.*

Gonz. in cap. fin. b. t. n. 7. Quibus factis possunt etiam alibi, ubi non sunt factæ proclamationes matrimonium contrahere. Sponsi, qui ante proclamationes Parochiam mutuarunt, proclamari debent in duabus Parochiis, si in illis impedimentum contrahere poterunt: nam sic melius satis fit, & litteræ, & intentioni. *Text. in cap. fin. b. t. & Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1. ibi: Præcipit, ut in posterum, ante quam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiis in Ecclesia inter Missarum solemniam publicè denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum. Junct. cap. 7. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 6. n. 6. contra aliquos.*

48 *Trident. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1.* facultatem dispensandi in proclamationibus, etiam in tribus, reliquit iudicio, seu conscientie, ut ait *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 8. n. 4.* & prudentiæ Ordinarii, quo nomine veniunt Archiepiscopus, Episcopus, Capitulum Sedevacante, Sedis Apostolica Legatus in sua Provincia, Prælati habens in certum territorium jurisdictionem quasi Episcopalem, Vicarius Generalis, saltem ex consuetudine, nisi hæc facultas specialitè illi restringatur, ut contra *Menoch. Henr. & Ponc. de Matr. lib. 6. cap. 31. n. 5.* tenent. *Gutier. de Matr. cap. 56. num. 11. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 7. n. 10. Gonz. in cap. fin. b. t. n. 7. & Salcedo,* qui asserit, proxim totius orbis sic recepisse: Imò possunt Episcopus, & Vicarius Generalis hanc facultatem alteri delegare, ut contra *Menoch. tenent Covarr. de Sponsal. p. 2. cap. 8. §. 10. n. 1. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 7. num. 20. & 21.* Si denuntiationes non fuerint omninò remissæ per dispensationem, sed solum præmissæ, postea supplendæ sunt post matrimonium contractum: sed ante ejus consummationem, ut impedimenta, si quæ sunt, detegantur. Et cum hoc præceptum sit in re gravi, tenentur conjuges sub mortali, non consummare, antequam denuntiationes fiant. *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 11. num. 3. Sanc: Ordinarius nequit absque justa causa dispensare, in denuntiationibus: nam cum à Lege requirantur, peccabit graviter contra eam faciens in materia gravi: debet ergo præcedere cognitio, an absit omne impedimentum, & subsit justa dispensandi causa, sed hæc cognitio non est necessario judicialis, sed sufficit extrajudicialis, cum hoc relinquit concil-*

ium iudicio, seu conscientie Episcopi. *Gutier. de Matr. cap. 57. n. 2. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 8. ex n. 4.* Justa causa dispensandi, vel in eis omnibus, vel in eo, quod una pro tribus fiat, sunt, quando Reges, vel Magnates contrahunt, vel si matrimonium semel solemniter celebratum sit ratificandum ob latens impedimentum, vel si prudenter timeatur, ne malitiose impediatur matrimonium, vel si sponsi ludibrio exponerentur, ut quando contrahit nobilis cum plebeja, vel senex cum juvenula, & alia hujusmodi, quas afferunt. *Sanc. de Matr. lib. 3. D. 9. Gonz. in cap. fin. b. t. & alii.* Ordinarius non semper, ac potest, debet dispensare: nam teste *Paniano in L. 40. ff. de Judiciis: non quidquid Judicis potestati permittitur id subijcitur juris necessitati.* Sic contra aliquos tenent *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 10. ex num. 2. Gutier. de Matr. cap. 57. num. 4. Ponc. l. 5. cap. 31. n. 6. & alii.* Quando verò dispensatio ad bonum commune deservit; vel ad averendum grave damnum in bonis animæ, corporis, aut fortunæ: vel ad acquirendum notabile bonum privatis, cum Episcopus ex officio bono subditorum providere tenetur, debet tunc dispensare; *arg. cap. 28. D. 50. cap. 8. 2. g. 5. Parochus non potest in his denuntiationibus dispensare, cum totum hoc iudicio Episcopi relinquitur Trid. nisi forte periculum sit in mora. V. g. si concubinari in articulo mortis constitutus velit contrahere matrimonium ad vitandum animæ periculum, & prolem legitimum. Tu enim Parochus potest per Episcopium Legem interpretari, quasi tunc non obliget, quia impossibilis observari. *Soto, Gutier. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 10. num. 27.**

49 Qui scit impedimentum tenetur sub gravi illud manifestare, non solum ex præcepto Ecclesiastico, sed etiam Jure Naturali, & Divino: siquidem hoc conducit ad vitandum peccatum proximi, & nullitatem, & irreverentiam Sacramenti. *D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 6. §. 10. n. 21. Navar. Henr. Gutier. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 13. n. 2.* Etiam tale impedimentum sciat sub secreto commissum sub juramento, & etiam addatur: *hoc tibi detego sub sigillo confessionis,* dummodò non sit intra confessionem sacramentalem. Nam nec secretum, nec juramentum obligant in præjudicium boni publici, aut tertii, *cap. 28. de Jure jur. ma-*

xime quando nullitas, vel irreverentia Sacramenti resullaret. *D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. ibi: Ad secundum dicendum, quod de illis, quæ homini, sunt commissa in secreto per confessionem nullo modo debet testimonium ferre, quia hujusmodi non scit, ut homo, sed tanquam Dei Minister, & majus est vinculum Sacramenti quilibet hominis præcepto. Circa ea verò, quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est: Quandoque enim sunt talia, quæ statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur, puta si pertinet ad corruptionem multitudinis spirituales, vel corporales, vel grave damnum alicujus persone, vel si quid aliud est hujusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificandus, vel denuntiando. Quod quidem habet locum, etiam si solus sciat, nec illud possit probare: nam cum de peccato vitando agatur, ipsi creditur; *arg. cap. 12. de Sponsal.* Etiam si tantum ex auditu sciat, si à personis fidedignis auditur, secus, si auditur à persona non fidedigna. Sic contra aliquos aliter sentientes tenent *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 13. Gonz. in cap. fin. b. t. n. 7. & alii.* Imò, & ipse contrahens, si rogatus fuerit ab Episcopo de impedimento occulto, etiam si nulla præcesserit infamia, illud manifestare debet, etiam si impedimentum infamatorum sit: vel abstinere debet à matrimonio; *arg. cap. 10. de Rescriptis. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 14. n. 2. Gonz. in cap. fin. b. t. n. 7.* Consciens impedimenti excusatur ab ejus manifestatione, si sciat, contrahentes dispensationem occultam pro foro conscientie impetrasse, vel si monendo ipsum impedium; vel alia via possit vitare matrimonium: ut si timeat ex manifestatione grave oriturum scandalum, vel nullo modo esse profuturam. *Navar. Man. cap. 22. num. 83. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 13. ex n. 3.**

50 Parochus sciens extra confessionem impedimentum debet matrimonium impedire celebrationem, *cap. fin. b. t.* Et etiam si impedimentum sit occultum, & contrahentes publice matrimonium contrahere intendunt, debet ipse sicut quilibet alius: imò à fortiori, siquidem ei ex officio incumbit, Ordinatio decet, qui si discussa causa, nullum adesse impedimentum pronuntiat, Parochus tali matrimonio assistet. *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 15. ex n. 3.* Si Parochus in confessione sciat impedimentum, debet monere scientem in ipsa confessione,

non extra eam, ne contrahat matrimonium: quod si monitioni nolit obedire, tanquam indisposito negare debet absolutionem: si tamen monitione contempta, publicè matrimonium petat, debet Parochus matrimonio assistere: quia notitia confessionis nullus ad actus exteriores usus est, *cap. 2. de Offic. Ord. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 16. num. 4.* contra *D. Thom. D. Bonan. Suar. & alios,* à quorum opinione recedere cogor, ut magis sigillo Sacramenti consulam. Si Parochus, vel Ordinarius sciant impedimentum, & simul sciant, pro foro interno esse dispensatum possunt dissimulare, & impeditos matrimonio conjugere, cum tunc sine peccato contrahant: secus, si ipsi impedimentum ab alio denuntientur; nam tunc si pro foro externo hoc constet, debet Ordinarius compellere sponso ad matrimonium abstinere, vel dispensationem pro foro externo impetrare. Nam dispensatio, quam habebant, ut limitata ad forum internum, non habet effectum in foro externo; *arg. L. 16. ff. de Acquir. rer. domin. limitata namque causa limitatum producit effectum. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 15. ex num. 14. & alii.*

51 Omissis denuntiationibus sine causa, & postea detecto impedimento dirimente quocumque, quod per denuntiationes sciri potuit, etiam si contrahentes ignorent impedimentum, scientiam latentis impedimenti habere præsumunt, ac proinde mala fide contraxisse, & idè filii ex tali matrimonio nati, sunt illegitimi, *cap. fin. b. t. L. 3. tit. 3. p. 4. ibi: Porque casandose encubierto semeja, que sabian, que algun embargo habia entre ellos, porque lo non debian hacer, ó á lo menos, que lo non quisieron saber. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 42. n. 4. & alii.* Si vero matrimonium erat irritum ex impedimento occulto, quod per denuntiationes non poterat detegi; v. g. ob defectum consensus in altero contrahentium, si alter conjux in bona fide fuisset, filii non erunt illegitimi, quia cum impedimentum non potuisset detegi, etiam per denuntiationes, non censetur, eos affectasse ignorantiam impedimenti. *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 42. n. 5.* Filii nati ex matrimonio valido, in quo fuerunt omisæ denuntiationes, legitimi sunt, nec ad hunc casum debet extendi constitutio pœnalis; *ex cap. fin. b. t.* Cum tantum loquatur de filiis ex matrimonio invalido natis; *arg. cap. 2. b. t. Sanch. de Matr. lib.*

lib. 3. D. 42. n. 8. Imò filii nati ex matrimonio clandestino invalide contracto ob ignorantiam impedimenti, si hoc postea publicetur, & nullo impedimento detecto approbatur ab Ecclesia, legitimi sunt, non tantum nati post Ecclesie approbationem, sed etiam antea nati, quia approbatio Ecclesie omne vitium matrimonii clandestini purgat, & presumptionem affectatæ ignorantie tollit, ac proinde cessat ratio, *cap. fin. b. t. Sic contra Angel. Rosel. & Tabien. tenent Joan. And. Sylv. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 8. §. 2. n. 16. v. 12. Saneh. de Matr. lib. 3. D. 43. n. 4.* Contrahentes sine præviis denuntiationibus, si postea detegatur impedimentum dirimens matrimonium, dispensationis super eo obtinenda spe privantur à Trid. *sess. 24. de Ref. Matr. cap. 5. quia dignus non est, qui Ecclesie benignitatem facile experiatur, cuius salubria præcepta temere contempsit.* Et licet Trident. facultatem Pontificum ad dispensandum ligare non possit, tamen ut dispensatio valida sit, & non subreptitia, debet exprimi in supplicatione, denuntiationes fuisse omissas, *Saneh. de Matr. lib. 3. D. 45. n. 3.* Hæ duæ poenæ locum habent, etiamsi matrimonium coram Parocho, & testibus sit contractum, in odium omissionis denuntiationum, *cap. fin. b. t. Trid. sess. 24. de Reform. matrim. cap. 5.* Imò Parochus, vel alius Sacerdos de ejus licentia tali matrimonio assistens, vel etiamsi non prohibet, debet per triennium ab officio suspendi. Sed hæc suspensio non est lætæ, sed ferendæ sententiæ, *quia Text. in cap. fin. b. t. dicit: suspendatur: quod ministerium Judicis significat.* Ita tamen suspensus ab officio non intelligitur à beneficio suspensus, cum sint distinctæ suspensiones, quarum una alteram non includit: ac proinde potest fructus beneficii percipere. Si tamen culpæ gravitas id exigat potest à Judice talis Parochus, etiam à beneficio suspendi, vel aliis poenis puniri, *cap. fin. b. t. L. 4. t. 3. p. 4. Saneh. de Matr. lib. 3. D. 48. ex n. 2.* In nostra Hispania contrahentes matrimonium; quod ab Ecclesia habetur ut clandestinum, testes, & alii in ipso intervenientes exilio, & privatione omnium bonorum puniuntur, & insuper est justa causa, ut parentes possint filios, vel filias, sic contrahentes exhareddare. *L. 49. Tuur. L. 1. tit. 1. lib. 5. R. C. quæ, & aliæ Leges aliquid circa matrimonia disponentes, vel requirentes consensum paren-*

tum, vel Dominorum justæ sunt, ac proinde servanda: siquidem minime sunt contra Jus Naturale cum non tollant alimenta filiis debita, sed tantum legitimam, quæ jure tantum positivo debetur, & quamvis disponant in materia ad Ecclesiam pertinente, nihil contra Jus Canonicum disponunt, sed potius ad faciliorem ejus observantiam cooperantur, ut dicitur in *L. fin. tit. 3. p. 4. Onde Nos porque habemos voluntad, que lo que Santa Iglesia manda, que sea guardado, sic Cajet. Sot. Azor, Molin. de Just. & Jur. tract. 2. D. 176. Ponc. Laym. & alii contra Abbat. Sylv. Navar. Man. cap. 24. num. 5. Jul. Clar. Pract. q. 83. Covar. de Spons. p. 2. cap. 3. §. 8. n. 5. Saneh. lib. 4. de Matr. D. 25. n. 2.*

52 Jure quidem Naturali nec irrita, nec illicita sunt matrimonia clandestina, sicut nec alii clandestini contractus: quam conclusionem certam esse ex Trident. asserit *Platel. cap. 7. §. 5. n. 1113. cum aliis contra Saneh. de Matr. lib. 3. D. 3. n. 8. & alios*, sed ob gravissimas causas, & inconvenientias; quæ ex matrimoniis clandestinis oriebantur, quia scilicet ob defectum probationis facile dissolvebantur, & nova conjugia non legitima, sed potius adulterina cum gravissimo animarum periculo, & Republicæ incommodo, & perturbatione contrahebantur: idè Ecclesia semper talia clandestina matrimonia detestata est, atque prohibuit, *cap. 1. & per tot. 30. q. 5. L. 1. tit. 3. p. 4. sed non irritavit, cap. 2. b. t. donec à Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1.* Tale matrimonium fuit irritatum: non quidem quasi directè irritetur Sacramentum; nam hoc non potest Ecclesia facere, sed indirectè; quatenus irritato contractu legitimo, qui est materia Sacramenti, per consequens irritatur Sacramentum; sicut potest quis corrumpendo panem, vel vinum, facere, quod illis non possit confici Encharistia, licet directè non sit in ejus potestate materiam tanti Sacramenti determinare, vel mutare. Requirit sanè Trident. copulativè, & indivisim ad Sacramenti valorem, quod celebratur à contrahentibus coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus; adeò, ut non sufficiat præsentia Parochi sine testibus, nec præsentia Parochi potest per plures testes, etiam per concursum totius Populi suppleri; nam cum hæc ad formam præscriptam pertineat, propriè, & specificè ponenda est, non per equiva-

len-

valentia. *Saneh. de Matr. lib. 3. D. 17.* Hoc tamen Decreto, utporè Lege Ecclesiastica, non tenentur Infideles, imò nec fideles, in quorum Provincia, vel Regno, vel Parochia, hoc Decretum non est publicatum, licet sit publicatum in Diocesi, vel si non est usu receptum, vel ex contrario usu abrogatum, vel derogatum; tenentur ergo solum fideles; & ex his illi, in quorum locis hoc Decretum publicatum est, & usu receptum, etiamsi ignorent tale Decretum; nam quamvis ignorantia excuset à culpa, non potest supplere solemnitatis defectum. *Saneh. de Matr. lib. 3. D. 17. num. 10. plures citans.*

53 Ubi valet matrimonium clandestinum, si alter ex contrahentibus intendat, matrimonium esse contractum, & alter neget, solum viro incumbit probatio, non verò mulieri; sive ipsa affirmet, sive neget, ut expresse habetur in *cap. 1. b. t.* quia pro muliere stare videtur præsumptio, cum non sit verisimile, quod mulier neget veritatem, sive circa matrimonium contractum, sive non contractum. *Barbosa, & Gonzal. in cap. 1. b. t. quamvis alii aliter sentiant.* Si ita occultè sit contractum matrimonium, ut nequeat probari, si uterque matrimonium esse contractum asserat, ipsis creditur, & tale matrimonium ab Ecclesia approbatur, quia ipsi jam de eo constat per contrahentium confessionem. Si verò uterque, vel unus saltem, neget, non sunt cogendi cohabitare; quin, & separandi sunt, quippè Ecclesia non judicat de occultis, quæ nequeunt probari, *cap. 1. D. 32.* Si quis cum una contraxit clandestinè, quod nequit probare, & cum alia publicè: cum de 2. constat Ecclesie, secus de primo, ad secundum cogetur, secus ad primum. Qui verò primum matrimonium contraxit, non potest accedere ad secundam, quia non est sua, sed potius excommunicationem, quæ solum in foro externo ligabit, tenetur sustinere, *cap. 44. de Sent. Excommun. Si matrimonium clandestinum publicetur, ex tunc habetur, ut si ab initio fuisset in facie Ecclesie contractum, cap. 2. b. t.*

54 Parochus matrimonio assistens debet hæc, vel similia verba dicere: *Ego vos in matrimonio conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 1.* Sed hoc non requiritur ad valorem matrimonii: sed ex præcepto Ecclesie, ac proinde illa verba omittebat, & qui-

Tom. II.

dem juxta aliquos graviter, sed verius solum erit venialis talis omissio, cum talia verba non pertineant ad formam, nec ad magnam solemnitatem Sacramenti, nec magnum continent mysterium. *Gutier. de Matr. cap. 69. num. 3. Saneh. de Matr. lib. 3. D. 38. ex num. 4. Gonz. in cap. fin. b. t. num. 9.* Fideles, id est, baptizati, etiam peregrini, & vagi, & etiam hæretici, qui ex loco ubi Trid. non est receptum veniunt; si in loco ubi Trid. est receptum, velint contrahere matrimonium, coram Parocho, & testibus illud contrahere debent, aliter erit nullum, etiam si bona fide contrahant, & etiam sine contrahentium culpa; sed quia Parochus absens, vel mortuus est. Et etiamsi constitutus in articulo mortis velit contrahere ad prolem legitimandam; quippè assistentia Parochi, & testium requiritur per modum formæ substantialis, & solemnitatis necessariò requisitæ ad valorem matrimonii, quæ non potest supplere bona fides, vel inculpabilitas, vel necessitas contrahentium. *Barbosa, de Offic. Episcop. alleg. 32. Saneh. de Matr. lib. 3. D. 18. num. 26. & alii comm.* Et hæc ratione probatur, Episcopum non posse dispensare in hac forma, & solemnitate, nec in casu urgentis necessitatis, ut ex ipso *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 1.* deducitur: nam cum ibi permittatur Episcopo in denuntiationibus dispensare, inferitur negata facultas ad dispensandum in solemnitate præsentia Parochi, & testium; *arg. cap. 5. de Præsumpt. Navar. Henric. Gutier. Saneh. de Matr. lib. 3. D. 17. num. 6. & alii.* Qui ex loco, ubi Trid. est usu receptum transit ad locum, ubi receptum non est, si ibi domicilium figat, sine solemnitate Trid. validè matrimonium contrahit. Vel si unus ex contrahentibus ibi habeat domicilium, vel quasi domicilium: nam alter gaudet consortis privilegio. Vel si causa negotiorum, commercii, vel alia causa ad illum locum pervenisset. Etiam si peregrinus, & vagus sit, qui seridè dimisisset suum domicilium: nam hi non tenentur Legibus suæ patriæ, quando extra eam versantur; *arg. cap. 2. de Constit. in 6.* Et subjiciuntur Legibus, & sortiuntur forum locorum, in quibus inveniuntur, *cap. fin. de Foro compet. L. 6. ff. de Eviction. Saneh. de Matr. lib. 3. D. 18. ex num. 27. & alii,* qui idem tenent etiam in casu, quo quis præcisè in talem locum se confert, ut matrimonium sine solemnitate contrahat, retinendq anti-

E 2

quum

quom domicilium, ubi usi receptum est Trid. sed cum contrarium declaratum sit à Sacra Congreg. Card. approbante Urban. VIII. 14. Aug. 1627. dicendum est, talem nulliter contrahere. Barb. de Offic. Episc. alleg. 32. num. 153. Lug. Resp. Moral. lib. 1. dub. 36. Gobat. Exper. tr. 9. num. 481. Similiter Christiani captivi, vel Mercatores, sive viatores, vel peregrini in terra Maurorum, vel Infidelium, vel Hæreticorum, ubi non est promulgatum Tridentinum, sine Concilii solemnitate valide contrahunt. Sanch. de Matrim. lib. 3. D. 18. num. 35. Barb. de Offic. Episc. alleg. 32. num. 154. & alii. At verò in locis Hæreticorum, ubi Trid. promulgatum est, ut in Hollandia requiritur presentia Sacerdotis, vel Parochi Catholici, quod si vel nullus inveniatur, vel ignoretur, vel non sit ad eum testes accessus, sufficit duos, vel tres veros adhibere ad matrimonium coram prædicante, vel etiam sine illo, quasi Ecclesia in his matrimoniis dispensante. Laym. lib. 5. tr. 10. p. 2. cap. 4. num. 7. Husung. tr. 6. D. 9. num. 111.

55 Quando matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum est coram Parocho, & testibus, si sit contractum cum impedimento occulto dirimente, sed tali, quod non sit periculum illud probandi, vel etiamsi ad forum externum sit delatum, ex defectu probationis impediti fuit pronuntiatum pro matrimonio, ad illud revalidandum sufficit, quod conjuges, ablato jam impedimento, mutuum consensum occultè renovent, sive verbis, sive habendo copulam affectu conjugali, vel alio signo ejus expressivo: nec est necesse, ut coram Parocho, & testibus iterum celebretur: siquidem jam Ecclesiæ constat de matrimonio, & semper potest illud probari ex solemnitate antecedenti. Navarr. Man. cap. 22. num. 70. qui à S. Pio V. declaratum testatur Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 37. num. 3. Gonz. in cap. 12. de Spons. num. 5. & alii, contra Gutier. Can. qq. L. 1. cap. 18. ex num. 7. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 32. num. 157. Ponc. de Matr. lib. 5. cap. 6. num. 6. & alios. Quando verò impedimentum publicum, vel notorium est, vel per duos testes probari potest, debet repeti solemnitas, quia cum constet de nullitate, consequenter non probatur illius valor, nisi post ablatum impedimentum, repetatur consensus coram Parocho, & testibus, & hoc modo, quasi purgetur vitium præcedens. Henrig. de Matr. L. 11. cap. 3. num. 6. & 7. Sanch. de Matr. L. 2. D. 37. num. 10. & 11.

Gonz. in cap. 21. de Sponsal. num. 5. Qui clandestinè contrahit, vel sine Parocho: & quidem proprio, vel alio Sacerdote de Parochi licentia: vel sine testibus, præterquamquod non contrahit matrimonium sic celebratum, quamvis postea posita solemnitate possit illud contrahere, quin aliqua indigeat dispensatione, ut contra aliquos tenent Sanch. de Matr. lib. 3. D. 46. num. 2. Gutier. de Matrim. cap. 61. num. 2. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 32. ex num. 151. etiam debet puniri ab Episcopo, cujus arbitrio quantitas pœnæ relinquatur tam circa contrahentes, & testes, quam circa Parochum, vel Sacerdotem tali matrimonio assistentes. Trid. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 1. quin tamen ad Parochum, vel Sacerdotem pro hoc casu extendatur suspensio triennalis, quæ infligitur in cap. fin. h. t. Parocho assistenti matrimonio sine prævisis denuntiacionibus celebrato, quia cum ea constitutio sit odiosa non extenditur ultra casum expressum. Sic contra Salced. Pract. Can. cap. 17. & alios, tenent Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 48. num. 4. Ponc. lib. 5. cap. 37.

56 Matrimonio debet assistere Parochus proprius, saltem unus contrahentis, vel sponsæ, vel sponsi, nisi alia viget consuetudo, ut in his Insulis: nam regulariter fit matrimonium coram Parocho sponsæ: sed sufficit, quod assistat Parochus cujuslibet. Nam cum matrimonium sit unus contractus, & individuum Sacramentum, si potest Parochus sponsæ eam legitime conjugere cum sponso, hoc ipso potest sponsum cum sponsa conjugere. Navarr. Gutier. Sanch. de Matr. lib. 3. disp. 19. num. 4. Cum tamen possit esse Parochus, qui nondum Sacerdos est, cap. 14. de Elect. in 6. Et Trid. solum assistentiam Parochi exigat, & aliunde ad talem assistentiam Ordo Sacerdotalis non requiratur, dicendum est, quod potest valide, & licite matrimonio assistere Parochus proprius, etsi Sacerdos non sit. Gutier. de Matr. cap. 62. num. 16. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 20. num. 3. Gonz. in cap. fin. h. t. num. 8. & alii, contra Navarr. Ledesm. Rodrig. & alios. Non tamen potest substituere pro se ad hanc assistentiam nisi Sacerdotem, quippe sic expressè exigitur à Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 1. ibi: Qui aliter quam presente Parocho, vel alio Sacerdote, &c. Nec per verbum alio significatur qualitas similis, ut patet ex Luc. 23. Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo: scilicet, cum Christo. Validum est matrimonium celebratum

coram Parocho excommunicato, etiam vitando, suspensio, irregulari, vel etiam privato à Superiore administratione Sacramentorum, & specialiter assistentia matrimonii: quia adhuc Parochus est, quod unice requiritur à Trid. Sic contra aliquos tenent Suar. de Cens. D. 11. sect. 2. num. 2. Sanch. de Matr. L. 3. D. 21. ex num. 4. Gonz. in cap. fin. h. t. num. 8. etiam si privatus sit ipso jure beneficio, dum adhuc sit in possessione; arg. cap. 28. de Præbend. in 6. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 22. num. 62. Etiam valet coram Parocho solum existimato, habente Titulum coloratum: vel quia beneficium ipsi invalide est collatum, vel eo privatus est ipso jure, & factò ob occultum delictum; v. g. hæresim, etiam si hoc sciant contrahentes, quia jus supplet defectum ob communem errorem, & bonum publicum; arg. L. 3. ff. de Offic. Prator. Sanch. de Matr. lib. 3. disp. 22. Gonz. in cap. fin. h. t. num. 8. Imò Ponc. de Matr. lib. 5. cap. 20. num. 3. & alii, tenent idem de Parocho, qui Titulum coloratum non habet, dum errore communi Parochus credatur. Deinde: Parochus debet esse proprius respectu domicilii, vel quasi domicilii, nec sufficit, quod sit Parochus originis: nam origo solum quoad ordines suscipiendis jure speciali attenditur, cap. 3. de Tempor. ordin. in 6. Gutier. de Matr. cap. 62. num. 29. Sanch. de Matr. L. 3. D. 23. num. 7. Gonz. in cap. fin. h. t. num. 8. Parochus proprius domicilii potest assistere valide matrimonio sui Parochiani etiam extra propriam Parochiam, in Parochia, vel Diocesi aliena, etiam sine illius loci Ordinarii, vel Parochi licentia, quia Trid. solum exigit proprii Parochi assistentiam ad matrimonium valorem. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 32. num. 95. Gutier. de Matr. cap. 62. num. 5. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 19. num. 11. & 14. contra Navarr. Ponc. de Matr. L. 5. cap. 6. num. 4. quin, & licite potest, si non solemniter assistat: nam in hac assistentia non exercet jurisdictionem, saltem contentiosam, sed se habet ad modum testis qualificati. Non tamen potest assistere solemniter, quia hoc esset se intrinsece in officium alienum publicum in re gravi: quod sine peccato non fit, sicut non potest nuptias extra propriam Parochiam benedicere, ex declaratione S. Pii V. Et sic possunt concordari Gutier. Laym. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 19. num. 18. & alii, qui hujus assistentia licitudinem propugnant. Contra Barb. de Offic. Episc. alleg. 32. num. 97. Ponc. de Matr. lib. 5.

cap. 16. num. 11. & alios. Similiter delegatus à Parocho, ut matrimonio suorum Parochianorum assistat, potest etiam extra Parochiam illos in matrimonio conjugere, nisi ab ipso Parocho sit restricta ad certum locum hæc facultas, & assignatio loci non tantum demonstrationis causa sit adjecta: nam tunc etiam extra locum assignatum potest assistere. Barb. de Offic. Episc. alleg. 32. num. 96. & 114. Gutier. de Matr. cap. 62. num. 10. Sanch. de Matr. L. 3. D. 34. num. 3. & alii.

57 Qui in duobus locis habet domicilium, quia utrolibet habitat per tempus æquale, non mathematicè, sed moraliter, potest non solum in loco, in quo, dum contrahit, habitat coram alterutro Parocho; sed etiam in loco, in quo tunc non habitat, contrahere potest matrimonium coram illius loci Parocho; quia cum in illis duobus locis habeat domicilium, & Parochianus sit, valet propter matrimonium contrahere; arg. cap. 2. de Sepult. in 6. Navarr. Henrig. Sanch. de Matr. L. 3. D. 24. num. 4. & 5. contra Paludan Rosclam, & alios. Princeps, licet omnium locorum sui Regni Civis censeatur, solum potest contrahere coram Parocho Palatii, in quo ordinarie residet. Lug. Resp. Moral. L. 1. dub. 37. Qui in aliquem locum se transfert animo ibi figendi domicilium, ex primo die potest coram ejus loci Parocho, utpotè proprio, matrimonium contrahere, arg. L. 20. ff. ad Municipali. Barb. de Offic. Episc. alleg. 32. num. 68. Gutier. de Matr. cap. 63. num. 13. Sanch. de Matr. L. 3. D. 23. num. 14. Etiam qui alicubi habet domicilium, potest ibi contrahere ubi habet quasi domicilium: si scilicet habet animum ibidem per majorem partem anni habitandi; v. g. qui studiorum, vel negotiationis, vel officii, imò, & exilii causa ibi est; arg. L. 19. §. 2. ff. de Jadic. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 23. num. 12. Gonz. in cap. fin. h. t. num. 8. qui à S. Congreg. Concilii declaratum testatur, & alii, contra Henrig. Rodrig. Segura, & alios. Si verò quis in aliquem locum se transferat ad breve tempus; v. g. recreationis causa, vel ruris collendi, vel colligendorum fructuum: cum talis habitatio eum non constituat Parochianum illius loci, non potest ibi matrimonium contrahere; arg. cap. 3. de Sepult. in 6. Barb. de Offic. Episc. alleg. 32. num. 71. Sanch. de Matr. L. 3. D. 23. num. 9. Gonz. in cap. fin. h. t. num. 8. Licet Parochus catholicus non possit matrimonio Catholici cum Hæretica contrahendo assistere, in Germania, &

& alibi, quasi ex consuetudine, hoc est admissum. *Laym. lib. 5. tr. 10. p. 2. cap. 4. num. 8.*

58 Si contrahentes, vel saltem unus eorum sit vagus, qui nullum domicilium, vel quasi domicilium habeat, sed hic inde vagetur, vel si deserto primo domicilio adhuc non pervenit ad locum destinatum (nam hic vagus censetur. *L. 27. §. 2. ff. ad Municip.*) debet celebrari eius matrimonium coram Parocho loci, ubi vagus versatur. Sic *Dicastillo, Castropal. Laym. L. 5. tr. 10. p. 2. cap. 4. & alii.* Et quamvis *Sanch. de Matr. L. 3. D. 25. n. 11. & Gonz. in cap. fin. h. t. num. 8.* dicant, vagos posse coram quolibet Parocho contrahere, possunt intelligi modo dicto: nisi alicubi sit Confessor pro vagis deputatus, ut dicitur esse in Compostella: nam tunc ille Parochus ipsorum censetur: debet tamen Parochus, qui vagos vult conjugere (idem dicendum est de alienigenis, & peregrinis) prius facere diligentem inquisitionem de eorum vita, ne forte alibi sint conjugati, & ab Ordinario loci debet obtinere licentiam ad assistendum eorum matrimonium. *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 7.* quod si hoc non observet, valide eos in matrimonio conjuget, quia non est Decretum irritans, sed graviter peccabit, quia in re gravi violat *Trid.* præceptum. *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 25. ex num. 8. & alii.* Milites possunt contrahere coram Parocho loci ubi sunt, non solum quando sub papilionibus degunt, sed etiam si sint in Præsidii: debet tamen inquiri de eorum statu, & præcedere licentia Ordinarii, sicut de vagis disponit *Trid.* nisi habeans Cappellanum, qui pro administratione Sacramentorum præpositus sit Legioni, habeatque facultatem, vel à Papa, vel ab Ordinario Diocesis, in qua sunt: tunc namque à Cappellano possunt in matrimonio conjugi juxta tenorem facultatis ipsi concessæ: quin ex generali consuetudine admissum videtur, quod Cappellanus cujuslibet Legionis, etiam Militibus alterius Legionis ministrare possit Sacramenta, & matrimonio assistere, vel quia superior, vel quia consuetudo dat hanc facultatem, vel saltem creditur commissæ ad invicem à Cappellanis alterius Legionis. De quibus alibi diximus.

59 Præter Parochum proprium possunt matrimonio cumulative assistere Episcopus in sua Diocesi, & Capitulum Sede vacante, & utriusque Vicarius Generalis: vel Prælatum quasi Episcopalem jurisdictionem exercens in Parochia

exempta: Archiepiscopus in sua Provincia, dum actu visitat, vel quando ad ipsum est appellatus: secus aliter; *arg. cap. 11. de Offic. Ordin. Legatus Sedis Apostolicæ in sua Provincia; arg. cap. 2. de Offic. Legat. in 6. Cardinalis in Ecclesiis sui Tituli, cap. 11. de Majorib. & obed.* Quia hi omnes habent jurisdictionem ordinariam cumulativam cum Parochis. *Sanch. de Matr. lib. 3. disp. 28. & alii.*

60 Ultra præsentiam Parochi de novo requirit *Trid.* (jus antiquum corrigendo) præsentiam duorum, vel trium testium. Et quidem præsentia testium, & Parochi debet esse simultanea: aliàs non de eodem actu deponerent. *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 41. num. 3.* Et cum nihil addatur de qualitate testium, & aliunde, quia correctorium hoc Decretum, strictè interpretari oporteat, dicendum est, sufficere, testes habere præcisè, quod Jus Naturale requirit, scilicet, usum rationis: ac proinde posse esse testes in matrimonio, qui aliàs essent inhabiles, ut impubes, servi, femina, Pagani, excommunicati, infames, consanguinei unius, vel utriusque contrahentis. Ita contra paucos tenent *Gutierr. Barb. Sanch. de Matr. lib. 3. disp. 41. num. 5. Laym. Gonz. in cap. fin. h. t. num. 10. & alii.* Nam si aliæ qualitates requirerentur, matrimonia prætextu alicujus defectus in testibus facillè dissolverentur contra intentum *Trid.* præterquamquod inhabilitas testium suppletur per assistentiam Parochi, qui est testis majoris exceptionis, & velut Notarius publicus: nec requiritur, quod testes sint ante matrimonium rogati, vel requisiti ad matrimonium, sed sufficit, si de intentione matrimonii contrahendi in ipso actu moneantur. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 32. num. 89. Gutierr. de Matr. cap. 55. num. 9. Sanch. de Matr. L. 3. D. 39. num. 7. Gonz. in cap. fin. h. t. num. 10. contra Pont. de Matr. L. 5. cap. 21. num. 4. Gonz. ad Reg. 8. Canc. Glos. 48. num. 32. & alios.* Debent tamen non tantum corpore, & physicè esse præsentibus, sed moralitè, & modo humano, ita ut possint verè, & propriè testificari, sponso matrimonium de præsentibus contraxisse. Hinc non valet matrimonium contractum coram teste ebrio, dormiente, vel non advertente, quid agatur. Vel si Parochus contrahentes non cognoscit, nec intelligit eorum idioma: sufficit tamen, si per interpretem, vel per nutus intelligatur, a Parocho, & testibus eorum consensus. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 32. n. 78. Gutierr. cap. 69. n. 2. Sanch. de Matr. L. 3. D. 39. & alii.* Si metu, vel dolo, vel

casu adessent Parochus, & testes, valet matrimonium: quia cum bene intelligant, quod contrahentes agunt, de matrimonio possunt testificari; *arg. L. 209. ff. de V. S. adimpleturque finis, & præceptum Trid.* siquidem nihil plusquam Parochi, & testium requirit præsentiam. Contrahentes tamen illicite metum inferent, nisi justa causa excuset. *Barbus. de Offic. Episc. alleg. 32. ex n. 82. Gutierr. de Matr. cap. 69. n. 10. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 39. ex n. 9. Gonz. in cap. fin. h. t. n. 8.*

61 Omnes illi, qui per se possunt matrimonio assistere, hanc facultatem possunt aliis delegare; *arg. cap. 68. de Reg. jur. in 6. verbo, scripto, vel nutu: specialiter, vel generalitè.* Et quando generalitè committitur administratio Sacramentorum, cum censeatur commissæ cura Parochialis, etiam assistentia matrimonii censetur commissæ, ut contra *Henriq. Perez, Sanch. de Matr. lib. 3. D. 35. n. 8. tenent Barbus. de Offic. Episc. alleg. 32. num. 127. Gonz. in cap. fin. h. t. n. 9.* & ita declaratum dicitur à *S. Cong. Trid.* Nec obstat, quod talis licentia sit metu extorta: quia adhuc matrimonium esset absolute liberum, & sine metu; nec constat unde irritetur. Ita contra *Abb. & alios tenent Barb. Gutierr. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 39. & alii.* Nec item obstat, quod licentia sit revocata, si revocatio, vel non est intimata Commissario, vel non est legitime intimata, hoc est, per nuntium ad id destinatum, licet aliunde Commissarius extrajudicialitè revocationem sciat. Si verò legitime sit intimata, non potest Commissarius matrimonio assistere; *arg. L. 17. ff. de Offic. Præsid. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 36. n. 9.* Si licentia ad assistendum sit per dolum oborta, vel per falsam allegationem, ita ut licentia non sit alligata causæ allegatæ, valet, & licentia, & matrimonium: etiam si Parochus concedens licentiam, ita esset dispositus, ut eam negaret, si sciret, falsam esse causam allegatam; quia absolute præstitit consensum, non alligando illum veritati causæ propositæ. *Gutierr. de Matr. cap. 64. ex n. 14. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 39. n. 14.* Et etiam sufficit ratihabitio de præsentibus, hoc est, si Parochus videat, alium Sacerdotem matrimonio assistere, & ipse, nec dissentiat, nec contradicat, cum possit, quia illa scientia, & patientia in favorabilibus, ut est matrimonium pro consensu habetur; *arg. cap. un. de Despons. impub. in 6.* Si verò assistat credens, Parochum ratam habiturum assistentiam, si licentia pateretur, non valet matrimo-

nium, quia tunc non verificatur, quod *Trid.* exigit, quoad valorem matrimonii, scilicet, licentia Parochi ad assistendum matrimonio. *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 35. n. 17. & 20. Pont. L. 5. cap. 29. n. 1. & alii.* Si aliquis petiit licentiam à Parocho, & antequam sciret esse concessam, assistat matrimonio, peccat gravitè, quia exponit Sacramentum periculo nullitatis: si tamen vere eo tempore concessa erat, valet matrimonium: secus aliter, imo non valet, etsi verè concessa esset licentia à Parocho, si ipse quidem Commissarius non erat saltem concessionis conscius, quia ignorans non potest acceptare. *Sanch. de Matr. L. 3. D. 36. n. 2.* Hæc tamen delegatio debet fieri Sacerdoti, quia ita expresse requiritur à *Trid.* aliter non valet. *Navarr. Rodrig. Sanch. de Matr. L. 3. D. 20. n. 10.* Licet potest fieri cuicumque Sacerdoti, Sæculari, vel Regulari; nec valori matrimonii, vel commissionis obstat, etiam si Sacerdos, cui committitur assistentia, sit excommunicatus, etiam vitandus, suspensus, interdictus, irregularis, vel etiam degradatus: quippe solum requiritur, quod sit Sacerdos: imò etiam non Sacerdos valide assistet, si errore communi pro Sacerdote habeatur; *arg. L. Barb. 3. ff. de Offic. Prætor. Sanch. de Matr. L. 3. D. 22. n. 61.* Parochus, vel alius Sacerdos, Sæcularis, vel Regularis, qui sine licentia Parochi, etiam prætextu consuetudinis immemorialis, seu privilegii in matrimonio jungit, aut benedicit Parochianos alienos ipso jure incurrit suspensionem, donec absolvatur ab Ordinario Parochi, qui assistere matrimonio debebat. *Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1. & S. D. N. Benedict. XIV. ut inconvenientibus, quæ ex matrimonio occulto resultant provideret, jubet quod Episcopi solum magna cum cautela dispensent in proclamationibus, & quod matrimonium coram Parocho, vel Clerico, & testibus contractum scribatur in Libro, quem ad hoc debet Episcopus habere, & magno cum secreto servari. Quod sic contrahentes admonentur de puero baptizando, & quamvis in Libro Parochorum fingantur, vel simulentur nomina parentum, hæc omnia debeant scribi in Libro Episcopi. Quod si parentes in hoc malitiose deficient, in gratiam filiorum, matrimonium publicabitur. Sic in Const. Satis. 17. Novemb. ann. 1741. **

TIT. IV.

De Sponsa duorum.

62 QUI cum una contrahit sponsalia de futuro, quod est *fidem facere pactio*nis, impedimentum impediens contrahit; ut aliam non possit ducere, nec cum alia contrahere sponsalia: imò, & secunda sunt omninò invalida; adeò ut nec solutis primis convalescant, & obligent *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 50. num. 6. Ponc. & alii*, contra *Covar. de Spons. p. 1. cap. 4. §. 1. n. 10.* Siquidem nemo potest alteri validè obligare rem, quam alteri validè obligavit; ac proinde non solvuntur prima sponsalia per secunda, etiam jurata, *cap. 22. cap. 31. de Spons. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 50. n. 2. & alii*. Nam juramentum non est vinculum iniquitatis, *cap. 18. de Jur. jur. nec cum tertii præjudicio obligationem inducit, cap. 58. de Regul. jur. in 6. & in dicto casu iniquitas, & præjudicium tertii sequeretur.* Secunda sponsalia, etiam copula secuta, non dissolvuntur prima, non solum, quando hæc etiam copula sunt confirmata; *arg. cap. 54. de Reg. jur. in 6.* Vel quando secunda sponsa habebat notitiam priorum sponsalium; quia tunc non in sponsalia sed in fornicationem tantum consensisse videtur; *arg. L. 1. §. 6. ff. de Adulterio edicto.* Sed etiam quando secunda sponsa ignorabat prima sponsalia, nec in eis intervenit copula. Quia vel vi promissionis erant dissolvenda prima; & hoc non potest esse, nam secunda promissio nulla est: siquidem per prima sponsalia obligatio justitiæ, & jus ad rem est acquisitum primæ sponsæ; ac proinde copula cum secunda, ablato jam per *Trident.* matrimonio præsumpto Juris Antiqui qui in *cap. 30. de Spons.* Censetur fornicaria, nec potest habere rationem traditionis legitimæ ad auferendum jus prioris sponsæ, & consequenter nequit secundæ jus matrimonii dare; *arg. L. 5. C. de Legib.* Nec ratione damni dissolvuntur prima per secunda: nam damnum alia ratione potest compensari: si enim hoc admitteretur facile quis posset sine causa a primis sponsalibus liberari, nova contrahendo, illaque copula confirmando, quod esset viam fraudibus, & dolis aperire cum magno animarum periculo, & præjudicio juris primæ sponsæ acquisitæ. Si verò damnum illatum secundæ per deflorationem, non

aliter, quam per matrimonium possit reparari, charitas obligabit, saltem in foro conscientiæ, & juxta *Sanch. Henr. & Lop.* Etiam in foro externo, ut prima sponsa cedat juri suo cum levi incommodo, ut potest, ut sponsus resarciat grave damnum secundæ. *Sot. Henr. Gut. de Matr. cap. 17. n. 7. Sanc. de Matr. lib. 1. D. 49. n. 5. & 6. contra Ponc. de Matr. L. 12. cap. 14. n. 4. & alios*, qui tenent prima sponsalia utrumque solvi. Semper tamen solvuntur prima sponsalia ex parte innocentis, qui non contraxit secunda, ob notabilem mutationem factam ex parte deflorantis. Si verò innocens velit cedere suo juri, vel ex alia causa talia sponsalia dissolvuntur, obligant secunda, siquidem, ut hæc non præsumantur peccaminosa, censentur facta sub conditione, si prima desint obligare; *arg. cap. 15. & 30. de Spons.* Cum per prima sponsalia obligatio justitiæ, & jus acquisitum sit priori sponsæ, eo non debet spoliari, nisi detur justa, & legitima causa; ac proinde Episcopus nullo modo potest irritare prima sponsalia, ut subsistant secundas; *arg. cap. 10. de Spons. Sot. Henr. Sanc. de Matr. lib. 7. D. 17. n. 13.* Imò nec R. Pontifex, nisi ex causa gravi, & ferè publica.

63 Qui semel cum una contraxit sponsalia, non potest licitè cum alia contrahere matrimonium, primis sponsalibus non dissolutis: si tamen defacto contrahat, etiamsi matrimonium tantum ratum sit, cum hoc majus, & fortius vinculum, quam sponsalia inducat: siquidem matrimonium confert jus in re, sponsalia tamen solum jus ad rem: tale matrimonium primis sponsalibus præfertur, *cap. 1. h. t. cap. 22. & 31. de Spons. L. 9. tit. 1. p. 4.* Sicut secunda venditio ejusdem rei, traditione roborata, præfertur primæ venditioni traditione destituta. *L. 15. C. de Rei vindic.* Ex parte innocentis; v. g. sponsæ dissolvuntur sponsalia, non solum per matrimonium validum, quia violavit sic contrahens fidem priorum sponsalium; sed etiam per invalidum, quia sponsalibus renuntiasset censetur, *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 48. n. 1.* Si verò matrimonium contractum à sponso per mortem uxoris dissolutum sit, tenetur ipsæ primæ sponsæ promissionem adimplere, sicut, qui factò voto Religionis, & fidem Deo frangendo, matrimonium contrahat, hoc per mortem uxoris dissoluto, tenetur Religionem ingredi, adeò ut prima obligatio, tam voti, quam sponsalium maneat suspensa, non extincta, per Incompatibilitatem matrimonii, ne is, qui fidem viola-

lavit, ex sua malitia commodum referat in præjudicium juris partis læsæ; nec Text. citati plus probant, nec absolutè in sponsalium dissolutionem expriment. *Ponc. de Matr. lib. 12. cap. 13. num. 4. & alii*, contra *Sanc. de Matr. lib. 1. D. 48. n. 3. & alios*. Qui matrimonium de præsentem cum alia contrahit, seu *dat fidem consensus* juxta phrasem Augustini in *cap. 1. h. t.* habet impedimentum dirimens, quod dicitur *Ligaminis* ad contrahendum cum alia, primo matrimonio durante. Quod si de facto contrahat, etsi secundam carnaliter cognoverit, non cognita prima, nullum est secundum matrimonium, & sustinetur primum, *cap. 31. de Spons. cap. 3. cap. fin. h. t. L. 9. tit. 1. p. 4.* Et etiamsi primum sit quoad effectum inutile ob morbum, vel impotentiam supervenientem, *cap. 25. §. 9. 7. vel sterilitatem, cap. 27. 32. q. 7. vel ob diuturnam conjugis absentiam, cap. 2. de Secunda. nuptiis.*

64 Ab ipsa enim institutione matrimonii in Paradiso illicita fuit Polygamia, seu pluralitas uxorum: nam Deus dixit ad Adam. *Gen. 2. v. 24. Adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Et ut declarat *Innoc. III. in cap. 8. de Divortiiis. Erunt duo in carne una, non dixit tres, vel plures, sed duo, nec dixit adheret uxoris, sed uxori.* Et sic observatum fuit semper ante diluivum, nec legitur, quod aliquis plures simul haberit uxores præter Lamech, qui duas duxit, & propterea à Nicolao reprehenditur, quando Lothario Regi rescribit, in *cap. 19. 24. q. 3.* ibi: *An non districta ultione feriantur es, qui in duabus uxoris adulterium Lamech, & flagitium imitatus, esse dignosceris?* Postea Deus dispensavit per inspirationem internam antiqui Patriarchis factam, ut plures possent uxores habere, ut sic Populus fidelis extenderetur. Nec in mundi initio fuit ad hunc finem necessaria polygamia: nam abundè propagatio habebatur per longissimam hominum vitam. Et sumpto exemplo à Patriarchis dispensatio fuit ad populum Israel derivata, *cap. 7. 32. q. 4.* ibi: *Obijciuntur Jacob quatuor uxores: quod quando mos erat, crimen non erat.* Et juxta *Bellarmin.* & alios hæc dispensatio, etiam ad Gentiles fuit protensa: quod negat *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 80. n. 13.* Et quidem Abimelech Gentiles, qui describitur, ut vir moraliter bonus, plures habuit uxores, nec aliter matrimonium Esther cum Assuro fuisse verum matrimonium, cum prius haberet pro uxore Reginam Vasthi. In Lege verò Gratia

fuit matrimonium restitutum à Christo D. ad suam primitivam institutionem libello repudii, & polygamia ablatis. *Matth. 19. v. 8. Trid. sess. 24. de Matr. Can. 2. ibi: Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, anathema sit,* ac proinde hodie non solum fideles, sed etiam infideles vi hujus Divini præcepti non possunt duas uxores simul habere: nec prima adhuc vivente repudiata, accipere secundam, *cap. 7. cap. 8. de Divortiiis. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 80. num. 14.* Nec sunt audiendi *Abulens. & Cajet. in 14. Matth.* qui in hoc puncto male sentiunt. Licet Polygamia Jure Divino fuisse prohibita, non tamen omnino Jure Naturali repugnat: nam apud plures gentes non Barbaras permixta fuit: imò à Deo cum aliquibus Patriarchis fuit dispensatum, *cap. 8. de Divortiiis:* ergo non repugnat Juri Naturali, alias Deus nullatenus dispensasset. Deinde per consuetudinem ex dispensatione descendente fuit polygamia apud plures admixta, *cap. 7. 32. q. 4. Dicit Thom. in 4. D. 33. q. 1. art. 1. ad 1.* Et contra Jus Naturale non pravalet consuetudo, *cap. fin. de Consuet.* Nec polygamia fini matrimonii repugnat, scilicet generationi, quæ non impeditur ex pluralitate uxorum: Imò nec educationi prolis, nec conjugum paci, & tranquillitati, cum hos fines, Domino providente, Patriarchæ, etiam in uxorum pluralitate consequerentur: licet aliquo modo his repugnat talis pluralitas. Undè tenendum est, quod hæc pluralitas, licet aliquomodo sit contra Jus Naturale, non tamen omninò, hoc est contra Jus Naturale, primarium, seu contra ejus prima principia: quod tenet, & optime explicat *D. Thom. in 3. p. Sup. q. 65. art. 1. in corp.* ibi: *Matrimonium ergo habet pro fine principali prolis procreationem, & educationem, qui quidem finis competit homini secundum naturam sui generis; unde, & aliis animalibus est communis, ut dicitur in 8. Ethic. & sic bonum matrimonii assignatur proles: sed pro fine secundario, ut dicit Philo. habet in hominibus sic communicationem operum, que sunt necessaria in vita, & secundum hoc fidem sibi invicem debent, que est unum de bonis matrimonii: habet ulterius alium finem, in quantum est inter fideles, scilicet significationem Christi, & Ecclesiæ: & sic bonum matrimonii dicitur Sacramentum. Undè primus finis respondet matrimonio hominis, in quantum est animal: secundus in quantum est homo: tertius in quantum est fidelis. Pluralitas*

ergo uxorum, neque totaliter tollit, neque aliquammodo impedit matrimonii primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxori- bus foecundandis, & educandis filiis ex eis natis, sed secundarium finem, etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfacendum pluribus uxori- bus ad votum: & tamen, quia communicatio plurium in uno officio causat litem, sicut figuli corru- xantur ad incivem: & similiter plures uxores unius viri. Tertium autem finem totaliter tollit, eo quod sicut Christus est unus, ita, & Ecclesia una: & ideo patet ex dictis, quod pluralitas uxorum quodammodo est contra Legem Naturae, & quodammodo non. Et sic possunt concordari duae sententiae oppositae; quarum prima asserit, hanc pluralitatem esse contra Jus Naturale. Quam tenent Bellarm. Hen- rig. Ledesm. & alii, altera negat, esse contra Jus Naturale: quam tuerent Durand. Abul. Palae. Gonz. in cap. 1. b. t. n. 7. Nos- tram sententiam mediam plures propugnant cum Sanc. de Matr. lib. 7. D. 80. n. 8.

65. Contra tamen, Polyviriam, seu pluralitatem virorum respectu unius uxoris, ut Juri Divino, & Naturali contraria nulla Gentes, quantumvis Barbara unquam admitterent, nec ulla dispensatio permittit. Sic tenet D. Thom. in 3. p. Sup. q. 65. art. 1. qui in 8. arg. sic sibi ob- jicit: de Lege Naturae est, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; sed vir nullomodo vellet, quod uxor alium virum haberet: ergo contra Legem Naturae faceret, si uxorem aliam superduceret: Resp. dicendo: Quod illud praeceptum Legis Naturae: quod tibi non vis, alteri ne feceris; debet intel- ligi eadem proportione servata: non enim si Praelatus non vult sibi resisti à subdito, ipse subdito resistere non debet. Et ideo non oportet, ex vi illius precepti, quod sicut vir non vult, quod uxor sua habeat alium vi- rum, quod ipse non habeat aliam uxorem: quia unum virum habere plures uxores, non est contra prima precepta Legis Naturae; sed unam uxorem habere plures viros est contra precepta prima Legis Naturae: eo quod per hoc quantum ad aliquid totaliter tollitur, & quantum ad aliquid impeditur bonum prolis, quod est principalis matrimo- nii finis: in bono enim prolis intelligitur non solum procreatio, sed etiam educatio. Ipsa enim procreatio prolis, etsi non totaliter tollatur, quia contingit post impre- gnationem primam, iterum mulierem im-

pregnari, ut dicitur in nono de animalibus, in multum impeditur, quia vix potest accidere, quin corruptio accidat, quan- tum ad utrumque factum, vel quantum ad alterum, sed educatio totaliter tollitur, quia ex hoc, quod una mulier plures mari- tos haberet sequeretur incertitudo prolis res- pectu patris, cujus cura necessaria est in educando, & ideo nulla Lege, vel consue- tudine est permittum unam mulierem habere plures viros sicut è converso. Non tamen esset polyviria intrinsecè mala, ut mendacium, & perjurium, à quibus numquam potest malitia separari, ac proinde Deus non potest in eis dispensare: posset tamen Deus in polyviria dispensare de po- tentia absoluta, vel potius conditionem apponere, qua posita, non esset mala, nec prohibita, dando, scilicet foemina facultatem, ut sine injuria mariti corpus suum ad usum, & actus conjugales alii tradat viro, & huic vicissim corpus suum foemina traderet; quod negari Deo non potest ob supremum dominium, quod in omnibus rebus creatis habet. Si potest alicui dominium concedere, ut possit in- vito Domino rem accipere, & in vitam alterius, ut possit occidere innocentem. Major. Laym. Sanc. de Matr. lib. 7. D. 80. n. 15. contra Bellarm. lib. 1. de Matr. cap. 11. Nulla tamen Lex Humana, etiam Pontifi- cia potest in polygamia, seu pluralitate uxorum dispensare, cap. 8. de Divort. Dic. Thom. in 4. D. 33. q. 1. art. 2. nec ulla consue- tudo, etiam immemorialis potest licitam facere polygamiam, nam consuetudo neutiquam potest contra Jus Divinum prevalere, cap. fin. de Consuet. D. Antonin. Covar. de Spons. p. 2. cap. 7. §. 3. n. 1. Sanc. de Matr. lib. 7. D. 80. n. 10. Nisi fundetur in revelatione, seu dispensatione Divina, cap. 7. §. 4. cap. 8. de Divort. D. Thom. in 3. p. Sup. q. 65. art. 2. in corp. ibi: Lex autem de unitate uxoris non est humanitas, sed divinitus instituta, nec inquam verbo, aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut, & alia, quae ad Legem Naturae qualitercumque pertinent, & ideo in hoc à solo Deo dispensatio fieri potuit per inspira- tionem internam, quae quidem principa- liter Patribus Sanctis facta est, & per eor- um exemplum ad alios derivata est eo tem- pore, quo oportebat, predictum naturae praeceptum praeferri, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educande: semper enim principalior finis, magis ob- servandus est, quam secundarius: unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria

erat,

TIT. V.

De conditionibus apposis in desponsatione, & aliis contractibus.

erat, debuit negligi ad tempus impedimen- tum, quod posset in secundariis finibus, evenire: ad quod removendum praeceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinantur. Et postea ad 5. ait: Non est inconveniens, si propter bonum prolis aliquid detrahatur aliis duobus bonis; nec tamen omnino tollantur, quia fides manet ad plures, & Sa- cramentum aliquomodo, & quamvis non significaretur conjunctio Christi ad Eccle- siam, in quantum est una, significatur ta- men distinctio graduum in Ecclesia per pluralitatem uxorum, quae quidem non so- limum est in Ecclesia Militante, sed etiam in Triumphante, in qua sunt diversae mansio- nes.

66. Attentant secundas nuptias, primi durantibus, de Jure Civili incurrunt Infamiam. L. 1. ff. de His, qui not. infam. & in aliquibus Regnis morte puniuntur. Jure Canonico, olim scienter cum alterius uxore contrahenti imponebatur publica poenitentia per septem annos, cum jejunio per 40. dies in pane, & aqua, quod carenam dicebant, cap. 2. b. t. Hodie tamen hoc non obtinet, sed arbitrio Confessario- rum imponitur poenitentia. Insuper, sic contrahens per verba de presenti scienter cum alterius uxore, & eam, vivente adhuc primo ejus marito cognoscens, incurrit criminis impedimentum, ita ut etiam mortuo primo marito, non possit cum ea contrahere. De quo in Tit. 7. In nostra Hispania variae poenae adversus polygamos fuerunt statuta. In L. fin. tit. 17. p. 7. Et olim ferro candenti haec littera Q in fronte eis imprimebatur. L. 5. tit. 1. lib. 5. R. C. & ibid. Azeved. Sed jam hodie hoc crimine reservatur S. Inquisitionis Tribunali, ut constat Ex Edicto Generali, num. 11. O si aliqua persona se ha casado segunda, ó mas veces, viviendo su primera muger, ó marido. Et quidem publice confusio exponuntur, & publica afficiuntur ignominia, capiti imposita mitra infami, Hispanae: Corozca, in publico suggestu, fustibusque caeduntur, & per quin- quennium ad tres menses damnantur. Gonz. in cap. 2. b. t. num. 6. Accord. in L. 5. tit. 1. R. C. num. 3. & alii. In Hispania quidem polygami abjurant de levi: in Italia tamen de vehementi adjurant. Quando conjugatus contrahit sponsalia de futuro cum alia; etiam polygamus censetur, & ad forum Inquisitionis pertinet, & ibidem juxta delicti qualitatem puniuntur. Sic ex Simancae, & alii afferunt Caesar Carena de Offic. In- quisit. p. 2. tit. 5. Dian. in Summ. V. In- quisitionum Jurisdictio, num. 166. & alii.

Tom. II.

67. NON sumitur in presenti con- ditio pro statu hominum, ut in §. fin. Inst. de Jur. personar. Nec pro Lege, seu pacto contractus, ut in L. 7. C. de Pactis: sed pro circumstantia alicui dispo- sitioni adjecta, à qua pendet dispositio, & frequentissime explicatur hac dictione: Si, v. g. Si mihi das centum, dabo tibi equum. Aliquando, etiam his particulis explicatur. Nisi: dummodo, donec, quan- do, ubi, cum, quando, & similibus. Et sic definitur à Rege N. in L. 1. tit. 4. p. 4. ibi: Condicion tanto quiere decir, como pleyto, ó postura, que es fecha sobre otro pleyto, con esta palabra si, é es de tal manera, que si se cumple, confirma el pleyto sobre que es puesta; é si por aventura desfallere, non vale la postura principal. Condicio verè, & proprie talis est oratio dispo- sitionem in tempus, & eventum futurum incertum suspendens. Ita ut verificata con- ditione, dispositio teneat, & ea deficiente, etiam deficiat dispositio. L. 1. tit. 4. p. 4. Gonz. in cap. 1. b. t. num. 4. Hinc non sunt proprie conditiones, conditio neces- saria; v. g. si Sol eras oritur: non praeterita, nec praesens; v. g. si Navis ex oriente venit, vel si Rex vivit. L. 10. ff. de Condit. Inst. Nec conditio impossibili- lis per naturam; v. g. si digito Caelum te- tigeris, quia haec omnes, vel non suspendunt dispositionem; vel non pendunt ab eventu contingenti. Matrimonium sub conditione necessaria contractum, non suspenditur, sed statim valet; arg. L. 9. §. 1. ff. de Novat. Imò etiam si sit contin- gens, infallibiliter tamen sit eventura; v. g. si venerit Anti-Christus. Sanc. de Matr. lib. 5. D. 2. num. 7. Conditio, vel est expres- sa, quae verbis expressis apponitur, vel tacita, quae licet non exprimitur, sub- intelligitur. Et haec si exprimitur eo modo, quo inest, non reddit contractum conditionatum: secus si aliter, ac inest adjiciatur; v. g. Tecum contraham, si Ecclesia, nullum in hoc matrimonio impedi- mentum esse judicaverit. Nam tunc ma- trimonium suspenditur, donec Ecclesia suum judicium proferat. Sanc. de Matr. L. 5. D. 1. ex n. 12. In omnibus ergo con- ditionibus potius contrahentis mentis, &

F 2

in-